

5054
D. A. N.
**INSTRUCTIO
PEREGRINATORIS,**

QVAM,
CONSENT. NOBILISS. FACULTAT. MEDICA
IN REGIA ACADEMIA UPSALIENSI,
SUB PRÆSIDIO
VIRI NOBILISS. ET EXPERIENTISS.

**DN. Doct. CAROLI
LINNÆI,**

ÆQVITIS DE STELLA POLARI,
S:Æ R:Æ M:TIS ARCHIATRI,
MEDIC. ET BOTAN. PROFESSORIS REG. ET ORD.
ACADEM. SCIENT. UPSAL. STOCKHOLM. PETROPOL.
BEROLIN. IMP. NAT. CUR. LONDIN. MONSPEL.
TOLOS. ET FLORENT. SOCHI,
PUBLICÆ CENSURÆ SUBMITTIT

ERICUS AND. NORDBLAD,
GEVALIA-GESTRICIUS.

IN AUDITORIO CAROL. MAJOR. D. IX. MAJII,
ANN. MDCCCLIX.

H. A. M. S.

UPSALIÆ.

MADAME
LA BARONNE
CATHARINE
DE
HJERTA,
NÉE DE
CEDERSTRÖM.

MADAME,

Considerant les biensfaits, dont Vous
m'avez comblé, depuis le moment,
que j'ai eu l'honneur de Vous être con-
nu, & ceux qu'il Vous a plu, de repa-
ndre en faveur de ma Mere; je me sens
penetré d'une reconnoissance, qui est au
de la toute expression. Je me croirois,

Ma-

Madame, le plus heureux des hommes, si
j'avois d'autre moyen que celui, qui s'
offre aujourd'hui pour moi, a Vous mar-
quer la sincerité de mes sentimens; c'est
celui de la liberté, que je prens, de Vous
dedier ce petit essai academique, qui par l'
Eclat de Votre Nom, procurera tout le prix,
que je puis attendre de mon ouvrage; &
en même tems faire connoître au public,
que ce n'est qu'à Votre generosité,
que Je suis redévable du fruit de mes tra-
vaux. Daignez Madame le recevoir, com-
me un aveu sincere des obligations, que
je Vous ai, & que je ne césserai de con-
server au fond de mon coeur. Si le Ciel
éxauce mes foibles prieres, Vous jouirerez
Madame, & Votre Noble Famille, de tou-
tes les prosperités, que peuvent aspi-
rer les personnes de Votre rang. J'ai l'
honneur d'être avec un profond respect,

MADAME,

VOTRE

*très humble & très
obeissant serviteur
ERIQUE NORDBLAD.*

KAMMRERSKAN,
ÅDLA FRU,
CATHARINA
MARGARETA
NORDBLAD,
MIN HULDASTA MODER!

Ingen ting kan mer sysflossa ett ömt sinne, än överboplade välgerningar.

Isrân min spådæsta ungdom, och då jag icke en gång kunde sakna en död Fader, hafver jag varit en dryg börd för Eder, Min Huldasta Moder, på hvilkens försvagade axlar min uppfostran hel och hållen lades; Jag finner mig derföre stâdna i så mycket större, ja i den alldradjupasta skuld.

Nu, när jag åndteligen tâker i sielfva verket visä något, af hvad mitt erkånsamma bjerta byser, består hela min gofva i några pappersblad, som Eder egen kostnad bragt i ljuset. Upptag likväl, Huldasta Moder, detta mitt ringa arbete, såsom ett tekn der till, att i villjan ej brister, fast förmågan fattas.

GUD then Högste belöne Eder, Min Huldasta Mother, för all på mig använd omsorg och kostnad, ocia göre Edra dagar många och nögda; jag ser då, att böner blifva hörde, som utan uppehåll till himmelen sändas af den, som med djupesta vördnad lefver,

ÅDLA FRU KAMMRERSKANS,
MIN HULDASTA MODERS,

lydigste son,
ERIC NORDBLAD.



D. D.

§. I.



uantum publicis rebus privatisque ad-
ferant emolumenti, suscep*tæ* ab iis
Literariæ Peregrinationes, qui acu-
tiori gaudent mentis & oculorum
acumine, haud facile quispiam di-
xerit. Sistuntur scilicet ubique pe-
regrinantum obtutu*m*, quæ mira a-
nimum varietate afficiunt, res in-
numeræ. Mores loquor exterarum gentium, vivendi ra-
tiones ac instituta, ut cuique propria ita diversissima, quæ
eo omnia faciunt, ut & mores ipsis peregrinantibus
formentur venustissimi, & iidem rerum pulcerrimarum uti-
lissimarumque copia instructissimi, natali olim solo reddit*i*,
in ejus commoda vertere sciant quidquid suis usibus inser-
vitrum exterorum excogitavit industria. Atque hoc ipsum
in causa est, quod ex immensa, quibus Bibliothecæ scatent
librorum mole, nulli a tam variis tamque diversis manibus
terantur ac *Itineraria*, qua par est, diligentia & accuratione
confignata, quum haud facile fuerit, qui in iis quod suo arri-
deat palato quidquam non inveniat. Nemini vero mortali-
um quum ita esse felici contingat, ut plurium, nedum omnium

A

scien-

scientiarum latifundis emetiendis sufficiat, in certum scopum intendunt, quotquot inanem regionibus percurrentis operam non insumere apud animum suum constituant. Hinc est quod canis ubique inhærent alii vetustioris ævi monumentis, Historiæ lucem sceneratur; alii in ea, quæ ad veram civitatis felicitatem qua demumcunque ratione promovendam apprime faciant, inquirant; alii, quæ sanitati inserviant, corporis vel tutandæ vel restituendæ, scire aveant; alia denique alii. Horum omnium vestigia legere & nobis, quidquid est virium, & hujus excederet opelæ limites. Jucundissimum tantum Historiæ Naturalis ingressi campum, utpote quem nostrum aliquo jure dicere fas est, in eo præsenti opera occupabimur, ut succinete delineentur quæ sibi observanda existimet, qui exteris salutaturus regiones partes naturæ consulti digne adimplere voluerit.

§. II.

Tempas exteris adeundi terras qui elegerit, vigesimo quinto & trigesimo quinto ætatis anno interceptum optimè fecisse censendus est, quum jam ætas ita maturuerit, ut tamen a senio non laboret. Qui junior itineri semet accinxerit, præterquam quod pluribus se periculis expositum existimet, videat ne rerum destituatur cognitione, quam, quuin domi haurire potuerit, & opum & temporis, non auro minus aestimandi, jactura perquam gravi apud exteris, pluris quam pro opinione, emere habeat necesse. Cujus vero ad senectutem ætas vergit, vix absque sanitatis dispendio crebriores sustinere potest cœli mutationes cibique, & ferendas præterea itineris injurias; quin & a pristina derelictus animi alacritate, tardioribus etiam inter observandum uititur sensibus externis.

§. III.

Eo summopere enitendum sibi judicet peregre profecturus, ut ea evitet omnia, quæ & inanem ejus operam

ram reddere, & ipsi perniciem accelerare possint. Hinc
 1. *Libidinem* caveat, corpori non solum sed animo, quin
 & vitæ inimicissimam. 2. *Æs fugiat alienum* eo sollici-
 tius, quod inde emergere in exteris terris nun-
 quam non sit difficillimum. 3. *Fraudes* vitet diligentissi-
 me, quum virtuti & veritati suus semper constet honos.
 4. *Politicos* nunquam *sermones* conserat, solamque sibi ma-
 gistratui, cuius in regione versatur, parendi curam æsti-
 met derelictam. 5. *Religioni* eorum, quibuscum vivitur,
 temere obloqui, rem putet aleæ plenissimam. Quin & 6.
auream, prouti dixerunt veteres *Dietam* diligentissime
 colat, sibique temperet, ubi in delicias inciderit gustu
 quam sanitati grationes, vina loquor exquisitoria, fructus
 & innumera alia; Intensorem Caloris vim Frigorisque
 fugiat & vestibus probe arceat. 7. Denique *Lusus* viter
 aleatorios, angue pejus & cane, quum, quod plurimis
 accidisse fida testatur experientia, in opum & vitæ discri-
 men facile inducant, & cum temporis aliis insumendi ne-
 gotiis jactura nunquam non sint conjuncti.

§. Vi.

Id vero præcipue agat Noster, ut nisi solida *Historia* &
Naturalis cognitione instructissimus, & diligentius oculo lu-
 stratis natalis soli *regionibus*, Patriam non relinquat, ne
 aquam, quod ajunt, trans flumen querat, & apud exte-
 ros ea addiscendi gratia sumptus eroget, quæ domi suæ vel
 gratis hauriendi occasio non defuerit. Bene secum actum
 sciat, si pingendi artem probe calluerit, cum pictura ima-
 ginem rei cuique felicius sistat, quam descriptio vel
 summa accuratione confecta. Artem etiam sculptoram
 nosse, tanto minus flocci faciat, quanto acutius obvia
 quævis intueri debet oculo regulis munito artis, quam,
 quibus hoc munus plerumque demandari solet, artifices
 ut plurimum non peritissimi. Suarum, in viam jam con-
 jectus, partium ducat, in orbem quasi novum immisus,

omnia, non ut stupidum vulgus consuevit, sed ita mirari, ut nihil oculorum ejus & mentis effugiat aciem. Naturam in rebus describendis ita effingat, ut qui descriptas legerit, res ipsas oculis quasi cernere videatur. Fallaci ut plurimum memorie nequaquam fidens, in adversaria mox, & ita, ut fieri potest occulte, referat quidquid ipsi observatum fuerit, nec prius somnum capturus lectum petat, quam omnia in ordinem redacta chartae mandaverit. Viros semper salutet literatissimos, qui facilorem sui debent copiam, quo altius in scientiarum adyta eum pene-
traffe perlenterint, indeque tantum se utilitatis reportatum sciat, quantum vel diurna maxime allorum conversatio nequaquam promittere possit; praeterquam quod hinc in itineribus discat ad hominum ingenia quorumcunque suos componere mores, & quemadmodum virtus sibi latam ubique munit viam, laetus animadver-
tat; cautius etiam mercari addiscit, & commercia aperi-
undi literaria occasionem nanciscitur commodissimam, & ea colligendi, quæ tandem ex senectute laborantem ani-
mum jucundissima afficiant praeteritorum memoria. Plu-
ribus vero distractus, quum quidquam facile prætermittat,
alienum forte non fuerit, brevem hec sistere observando-
rum elenchum, ut quæ uno die neglexerit, altero nequaquam missa faciat.

§. V.

ITINERARIA quum tantum non innumera lucem viderint publicam, paucissima tamen nos habemus sermo-
ne patrio confecta. Qui in illis condendis desudarunt, quum scientiae rerum naturalium rudes plurimi fuerint, obscure adeo, quæ viderant ipsi, cum aliis communicarunt, ut Oedipus sit oportet, qui eos intelligat, intelligi modo si unquam possint. Veterum mihi semet probarunt maxime Bellonii Itinerarium & Kæmpheri amœnitates exoticæ. Nostro hoc tempore, quum ad summum fasti-

fastigium præpropero gressu adscenderit *Naturalis Historiæ* cognitio, optima nobis dedit & perfectissima, immortali laudum præconio extollenda incredibilis Nostratum industria, utpote: *Kalmii Iter Americanum*, *Hasselquistii Iter Palæstinum*, *Osbeckii Iter Indiae Orientalis*, *Löfgrenii Iter Hispanicum* & quæ nec infimo loco nominanda forent, *N. Præsidis Iter Oelandicum*, *Gothlandicum*, *Westrogothicum*, *Scanicum*, ut ceteros taceam *N. Præsidis discipulos*, qui variis perlustratis regionibus ea collegere, unde scientiæ naturali lux astulsa maxima,

§. VI.

ITER.

Viæmensiones, *diversoria*, *urbes*, *provinciæ*, *pagi*, *præmiumque itineris*, quemadmodum sint comparata vulgo obseruant qui peregre proficiscuntur. Adferunt hæc omnia magnam iis utilitatem, qui eandem calcabunt viam, designando scilicet & indice quasi digito monstrando ea, quæ in hisce locis observata fuere. Sed hæc sicco pede præterire liceat.

§. VII.

GEOGRAPHICA.

REGIONIS *Longitude*, *Latitudo*, & *Situs Montosus*, *Campestris*, *Paludosus*, *Sylvaticus*.

TERMINI regionis, quos *Littora*, *Lacus*, *Flumina*, monstium *Fuga* &c. ut plurimum reddunt insignes.

MAPPA *Geographica*, si adfuerit regionis, insignem usum habet; in ea propria etiam conjicere adnotata abs re non fuerit.

GEOGRAPHIA vero est vel *naturalis* vel *artificialis*. Illius ut plurimum *Fuga montium*, *Fluvii maiores*, & *Lacus terminos* constituant; hæc insignioribus *Urbibus* *Viisque publicis* suam debet originem. Sed hæc omnia nostrum jam minus veniunt sub examen.

§. VIII.
PHYSICA.

Flunt observationes Physicæ, præcipue circa res in singulis Elementis obvias, in primis vero notanda veniunt:
TERRÆ.

MONTES altiores condescendantur, *prospectus* ab illis in subjacentes regiones observentur, *Altitudo* eorum Barometris metiatur, *Præcipitia*, si quæ fuerint & fracturæ, attente considerentur.

LAPIDUM species, in primis vero *Strata lapidum* & *terrarum*, quantum fieri potest, non prætermittantur; *Cryptæ* etiam subterraneæ perquirantur, cum quid visu dignum nunquam non habeant. Heic non minus quam in aliis locis probe dispiciendum est, an dentur quædam *diminutionis Aquarum* & continentis dilatationis indicia.

MARIS Litora, Portus, Fluxus & refluxus, *Fluvii* navigabiles & impervii, eorundemque *Cataractæ* insigniores, *Fontes* præstantiores, acidulæ, salæ, thermæ; *Lacus*, eorumque natura & indoles.

AER an apricus, serenus, salutaris aut impurus seu noxius fuerit, una cum suis causis, quæ ex situ plerumque esse solent, in primis vero ex *aquis* stagnantibus, quæ putredine corruptæ, aërem corruptunt.

CALORIS summus gradus æstate, & frigoris hyeme in thermometro, vulgari apud nos hodie usu recepto, notetur; *Vernationis* tempus determinetur ex Frondescencia & Defoliatione arborum, ut inde mensuretur ætas.

§. IX.

LITHOLOGICA.

TERRÆ communes: *Humus*, *Argilla*, *Arena*, *Sabulum*, *Creta*, cum proportionata cujusque quantitate & mixtionibus.

SAXA qualia? quæ variis in terris varia esse solent, & subiacentem terram non parum illustrant.

PETRÆ

PETRÆ primariae: *Cos*, *Silex*, *Schistus*, *Calx*, *Talcum*.

CONCRETA, uti *Stalactites*, *Topbus &c.*

PETRIFICATA tam rariora, quam vulgaria magis.

MINERÆ, cum suis speciebus, venis, immixtis rario-
ribus.

Lithogenesis præcipue oculo observetur, ut sufficientes
aliquando suppetant observationes in generatione satis
adhuc obscura lapidum, in primis minerarum.

Specimina lapidum sollicite colligantur & asserventur,

§. X.

BOTANICA.

FLORA regionis, si quæ prodiit, præprimis acquiratur, fin
minus ipse eam qualitercumque conficiat, adjectis no-
minibus incolarum; præcipue vero rariores & adhuc
obscuras plantas delineet & illustret; *Botanicos regio-*
nis sollicitet, ut sibi monstrent, ubi habitent plantæ,
quas ipse invenire nequit; Plantæ rariores legantur &
exsiccentur; *locus* cuique adscribatur, & si fieri potest,
semina riorum colligantur, ut fementis earum domi
fieri possit, quo totus earum progressus perspiciatur.
Videat præterea quænam plantæ maxime communes in
ista regione sint, & quid ad id faciat *solum terræ*, quin
& situs regionis; in caussas inquirat, cur ibi non vi-
geant, quæ in finitimiis regionibus florent.

SYLVARUM conditio, & quibus maxime *Arborum* spe-
ciebus abundant, in primis vero magnitudine reliquis
præstantiores observentur, quarum trunci crassities
& altitudo mensurari debent, annis ad circellarum nu-
merum computatis.

Stationes plantarum, ut fundamentum omnis plantarum cul-
turæ, in herbariis ejus accurate sunt observandæ,
& *Calendarium Floræ* augendum plantis, quæ nondum
in illud introductæ sunt.

§. XI.

ZOOLOGICA.

ANIMALIA rariora accurate describantur qua figuram, alimenta & mores; singula assertentur quemadmodum in *Institutione Musei* dictum est.

MAMMALIUM Inprimis exterorum historia probe conficiatur; inter describendum sollicite inspiciendi dentes, futuræ, verrucæ, mammæ, pedes &c.

AVIUM numerentur sedulo remiges & rectrices; alimenta earum, nidificationes & migrationes non prætermittantur.

PISCES qua dentes & pinnas describantur, ad situm præcipue pinnarum ventralium omniumque radios attendantur, spinescæ sint an muticæ? Cauda an bifurca, integra aut acuminata; locus etiam singulis proprius, nec non modus & tempus coeundi ad *Calendarium Flora* determinetur.

AMPHIBIA exotica, minus cognita, serventur in spiritu vini; in *Serpentibus* zelarum structura & scutorum numerus ineatur.

INSECTA exotica diligentissime querantur, in incrementa ejus scientiæ, quæ nostro hoc tempore & cœpit, & ad summum fere apicem perducta est. Capi autem comode possunt. *Forcipe Clerckiano* & *excipula*; acubus dein transfixa assertentur in *Scatulis* fundo subere strato confectis; transferantur dein in *Arculas* viridi cæra obductas, ne *Tineis Domestibus* &c. in vicum cedant; investigentur, quoad fieri potest, hospita eorum *Flora*, quid utilitatis aut noxæ adferant hæc insecta, quos habeant hostes, quas subeant metamorphoses, & quorum denique maxima in regione copia.

VERMES, quorum historia etiamnum præ ceteris manca est, sollicite sunt describendi & depingendi, in primis vero

vero *Intestina*, *Mollusca* & minima *Zoophyta*; animalcula hæc molliora in spiritu vini immergenda, ne mortua facile evanescant. *Testacea*, *Lithophyta* & *Zoophyta* sedulo quærantur ad ripas aquarum, ut earum suppetant specimina manifesta.

Ex his omnibus tantum colligi debet, quantum *Museo* instruendo satis sit, ut ea oculis usurpare liceat, ubi cunque ita fuerit visum.

§. XII.

OECONOMICA.

Oeconomia privata, quæ non est nisi historia naturalis applicata, ad vitam humanam commodius transeundam, sollicitam valde nostri curam sibi exposcit.

LAPIDEA.

FODINARUM situs, Matrix, Venæ, profunditas pariter ac methodus fodiendi & extrahendi metalla ac aquam, sub examen vocentur. Quæ in usu sint machinæ, nec non *Ustrinarum Furnorumque prærogative* investigetur.

SALIUM *Nitri*, *Aluminis*, *Victrioli* præparandi ratio non negligatur.

SULPHUR commune, *Arsenicum*, quomodo conficiatur, videat.

CALCIS ustio *Laterumque*, quibus ædificia exstruantur, *Marmorum* politura, quin & *Gypsi* & *Lithontracis* fracturæ & strata.

Cæspitum sectio, qui lignorum loco igni fovendo inferunt.

Terræ cultæ variæ species, differentes situ, mixtione, principiis, cum ejusdem emendatione; Imprimis *Paludum cæspitosarum* metamorphosis artificialis in prata.

Arena volatilis, quid noxæ adferat, & qua ratione pacata reddi possit.

Sterquilini denique curam & augmentum ad letificandos agros & prata, observet.

VEGETABILIS.

AGRICULTURA: *Cerealia*; in primis *Triticum*, *Secale*, *Hordeum*, *Avena*, *Oryza* &c. nec non *Helxine*, *Fabae*, *Lentes*, *Pisa*, observanda veniunt.

Agriculturæ instrumenta, utpote arandi, resuleandi, occandi, stercorandi, ferendi modus, una cum tempore & methodo, quo meti, siccari, & flagellari soleant frumenta; quot dies inter annui cujuslibet frumenti fermentem & messem intercedant, observet; quæ in agris herbae segeti remoras pariant, & qua ratione suffocentur.

Hortorum ornamenta, delineationes, *Sepes*, *Pergulæ*, flores coronarii, *Mapalia*, & *Hybernacula* attente considerentur.

Pomonae arbores & *methodus plantandi* attendatur.

Macelli plantas culinares commodissima & proficia maxime colendi ratione.

Officinales Pharmaceuticas & *Tinctorias* cum suis speciebus, cultura, & colligendi ratione.

Monotrophea; ut *Vineta*, *Lupuleta*, *Oliveta*, *Tabaci*, seminunque pro *Olei expressione*, cultura.

Pratorum emendatio, per purgationem, plngvefactionem, inclusionem, terræ sterilis mutationem in fertilem; fæni denique messis, & illatio in horrea.

Sepimenta quomodo fiant, vel ex lignelis trabibus, terra in aggeres congesta, virgultis, lapidibus & fruticibus; ad portarum structuram attendat; præcipue vero disquirat, quænam arbustulæ *sepibus vivis* inserviant maxime, una cum plantatione & cura eorum.

Arborum plantatio, in ornamentum, tranquillitatem, lucos & nemora,

Sylva.

Sylvarum conservatio & exustio, excisio, res carbonaria, ad picem, tigna, trabes, malos nauticos & materialia navium, habenda ratio.

ANIMALIS.

PECORUM cura, quibus pecoribus destinata? quæ & qualis Madra? qui modus augendo stercori? lactis indoles & præparatio; pecorum æstivatio, coercitio, hybernia, cibatio, saginatio, mulo-Medicina; specialis cura Ovium, Caprarum, Equorum, Suum &c.

AVIUM species, domus, cibus, cultura, castratio, saginatio: cicurium non minus, quam sylvaticarum.

PISCINÆ, qua ratione optime struantur, quomodo pisces plantentur, cibentur, & hyeme conserventur.

APIARII commodissima instructio, una cum historia Apum & cultura; enumeratio Florum præcipuorum, ex quibus colligant Mel aut Ceram; ejus præstantia, mulctandi modus, examinis coercitio; & quomodo suis ab hostibus defendantur & hyeme conserventur Apes.

BOMBYCUM cultura; ovorum exclusio, cibus, somni, metamorphosis, coitus; serici glomeratio & ulterior præparatio.

OSTREARUM cisternæ; modus aperiendi matres; Margaritarum & ipsius margaritæ plantatio.

VENATUS ad extirpanda animalia œconomie noxia.

MAMMALIUM, uti Ferarum & Glirium expulsio, Peccorum venatus, Phocarum & Balænarum piscatura; modis & instrumentis, quæ hunc in finem excogitavit humana industria.

AUCUPIA; caveæ Accipitibus, Falconum illusio, venatus Tetraonum, laquei Passerum, Perdicum coercitio, Alaudarum, Anatum, avium aquaticarum deceptio; cetera.

PISCATURA; qua ratione commodissime, quæque placentum species capiatur, conservetur & præparetur.

INSECTORUM uti *Cimicum*, *Pediculorum*, *Paticum*,
Blattarum, *Gryllorum* in ædibus, *Larvarum arborum*,
pratorum, *agrorum* & utensilium extirratio.
Teredo navalis quomodo caveri possit.

§. XIII.

DIÆTETICA.

AERIS commodæ inhabitationi domus inserviunt & vestes;
attendant igitur ad

DOMORUM exstructionem, ex ligno, lapide, argilla suba-
cta peristylii; ad tecta, pavimenta, januas; formam etiam
externam & internam concamerationem, tam in pagis
quam in urbibus. Modum sciscitur, Mucorem unctuosum
cavendi. Ignis alimenta notet, utpote ligna, cæspites, Li-
thantraces, reliqua; Lectorum formam locumque commo-
dissimum; Fenestras; aream Villæ; fordes quomodo ex-
purgentur, aquæ ducantur & conclavia exornentur.

AMICTUM incolarum, ex lino, lana, pellibus, serico;
vestium formam; luxu magis an usui commoda?

CIBATIONEM; videat quodnam præcipue ciborum ge-
nus in deliciis habeant; an vitam vivant incole phyt-
phagam, carnivoram aut piscivoram; an sale conditos
adhibeant cibos, aut insulso; quæ inde commoda aut
incommoda in sanitatem corporis redundant?

CULINA; artem Coquinariam non existimet negligendam,
in primis quæ panificiis inserviant, ubi notanda veniunt
molendinæ, ipsa panis præparatio, & furni illi coquen-
do destinati.

POTUS; qualis sit aqua, & quid ad sanitatem conferat;
qua ratione potus conficiatur artificialis, utpote *Cere-
visia*, *Mussum*, *Cidra*, *Vinum*; quomodo exstruendæ Cel-
le vinariae, & quæ pellendo sub æstatem calori, ope gla-
ciei inserviunt.

LU-

LUXUM nationis: usum *Coffeæ*, *Theæ*, *Vini*, *spiritus vini*; *saccharorum*, *commessiones*; horumque singulariæ noxæ sequantur.

OPERATIONES, quibus victum paratur, maxime occupentur incolæ, quantum illis operam dent, & in quibus aliis præstent; operationes manuariæ, manufactoria, laboratoria, instrumenta & opificia; quid ex hoc labore corpori utilitatis aut detrimenti adferatur; vivendi ratio, an servilis nec ne, ipsique segnes aut alacres?

Instrumenta, quibus operationes suas exercent, minusque vulgaria describenda & delineanda, utpote quæ interviunt in Re Lapidea, Vegetabili & Animali; scilicet in Agricultura, Horticultura, venatu, piscatura &c. nec omittenda sunt, quæ transferendis mercibus terra marique inserviunt.

PROPAGATIO; an vita illis casta aut dissoluta? an sterilitate mulieres laborent? quænam liberos educandi ratio? Mores; quibus præcipue affectibus ducantur? ritus *Nuptiales*, *Pædobaptismales* & *Sepulcrales*, eorumque fontes & cauſæ.

§. XIV.

M O R B I.

Morbi & rariores obseruentur, & in endemiorum præcipue ac popularium origines inquiratur. Invisantur *Nosocomia*, ut, quibus ut plurimum vulgus inficetur contagiatur, constet.

Medicamenta quænam a Medicis præcipue adhibeantur, non modo, sed & medicamina domestica, vulgo usitata, sedulo investigentur. A Medicis quæratur, quænam huic vel illi morbo inventa fuere maxime specifica, una cum modo quo recipiantur & dosi. In *Pharmacopœa* inquiratur in ista medicamenta, quæ nondum in patriam introducta sunt; sedulo in primis inquiratur in vegetabil-

lia, ex quibus obscura a Iiuc officinalia prognata; quin & Præparata optima, & Compositiones selectæ notentur.

§. XV.

A D D E N D A.

Ulterius progreedi non licet, ne meos forte limites transgressus, aliis, quam ipse non novi, viam monstrare velle videar, pluraque uni observanda injungere, quam quibus facile sufficiat. Multa præstiterit, qui modo eorum, quæ dicta sunt, ullum prætermittere nolit. Patiatur tamen peregre profecturus, quod coronidis loco, tribus, quod ajunt, verbis moneam, ne prætermittat unquam:

1. Curiosos invisere, qui rerum naturalium collectiōnibus insignioribus ditati sunt, quum unum sæpius *Museum* servet animalia, aves, serpentes, pisces, insecta, conchylia, vegetalia, lapides, instrumenta, machinas, vestimenta, & tantum non innumera, ita rara, ut ea videndi, nulla forte unquam suppetat occasio.

2. Eruditionis fama in alio quovis scientiarum genere *Clarissimos* salutare. Honori & laudi sibi reputet eos vidisse, eorumque fructum fuisse colloquio, qui splendissimorum instar siderum suos late radios spargunt, quorumque actiones habere perspectas nemo non avet. Quod scientiæ, aliis neglectæ penitus, ad summum apud alios culmen evectæ sint, quum rationes non desint, in eas sedulo sibi inquirendum, paremque literatorum *Mæcenatis* honorem habendum putet. Nec ea prætereat, quæ publicam ad rem spectant: quemadmodum itaque legibus sua servetur sanctitas illibata, suoque ut quivis officio defungatur, absque poenit adigi possit; quemadmodum *urbes*, pagi & vici a sordibus reddantur immunes, & salubres incolis mansiones præbeant; quemadmodum denuque immunitatibus, exiguo rerum venalium pretio, artibus & disciplinis, aliaque quacunque de causa, allecti undique omnis

omnis generis homines fixas ibi sedes eligere soleant, diligenter observet.


3. *Historica*, ut *Doctorum biographias*, quin & *Antiquitates*, *monumenta sepulcralia*, *lapides Runicos*; reliqua non omittat.

4. *Commercia* & alia, artes manuarias spectantia, quæ, quantum ad communem conferant felicitatem, nemini non constat, probe videat & observet, quomodo justo hominum laborantium numero, proventus regionis augeantur, in suos usus vertantur, & in alias commode terras exportentur, quantumque inde lucri ad incolas redundet; nec ea negligat, quibus eos destitui, non patitur exterorum industria.

§. XVI.

Præcipua hæc sunt, ad quæ, exteras salutatus regions, sibi attendendum sciat. Plura effent fateor, & pene innumera, sed omnia recensere, & præter scopum esset, & in tempus facultatesque meas, non omnino permagnas injurium. In his vero, quæ enumerata sunt, qui suas digne adimpleverit partes, aut se molli torpisse otio, aut frustaneas fecisse erogationes, nullo sane jure quæsturum arbitramur.

Nulla dies sine linea.



D_R FRED BÄRJ

5.00 II-61